



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Fvlvii Androtii, Societatis Iesv, Piæ meditationes de  
Passione & Morte D. N. Iesv Christi**

**Androzzi, Fulvio**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno MDCIII**

Mysterium duodecimum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48634)



74      A N D R O T I I  
te solum laudem, tibi soli vsque ad  
mortem seruiam, vt tunc læto & sereno  
vultu ad te perueniam, & affectu amo-  
ris pleno dicere possim: *In manus tuas  
Domine commendo Spiritum meum. A-*  
*men.*

*Mysterium duodecimum.*

**D**E felle ei porrecto in medijs dolo-  
ribus, & cruciatibus, & sum-  
ma siti.

*Puncta consideranda.*

1. Considera crudelitatem Iudæorum,  
qui Christo in summis existenti tormē-  
tis & iam exangui & moribundo hau-  
stum aquæ petitiæ negârunt.
2. Quod loco aquæ ponigant fel & a-  
ectum. Res sanè quam nec Abraham  
diuiti Epuloni in inferno ardenti fece-  
rat.
3. Desiderium patiendi in Christo ma-  
ximum: nam ex omnibus membris so-  
la lingua restabat à poena immunis.  
Hanc ergo voluit doloris sui esse parti-  
cipem.
4. Considera admirandam Christi pa-  
tientiam in hoc casu.

*s. Ante*



5. Ante omnia considera immensam  
charitatem, quam in eadem re demon-  
strabat.

CONFUSIO.

1. Quod cum Christus tantam habu-  
erit sitim salutis nostræ, nos minimam  
habeamus, nec studeamus eam sitim cõ-  
parare, conuertendo nos serio.
2. Quod cum tantoperè sitiuerit & de-  
siderarit habitare in anima nostra maxi-  
mè per Sacramentum Eucharistiæ, pau-  
ci tamen eius desiderio satisfaciant.
3. Quod Dominus omnium, se ad tã-  
tam inopiam demiserit, vt nec haustum  
aquæ habere potuerit, & nos volumus  
abundare omnibus rebus necessarijs.
4. Quod Christus finem semper con-  
stituerit in passione, nos autem consti-  
tuamus eum in voluptatibus & deli-  
cijs.
5. Quod tam exiguum in nobis de-  
siderium sit iuuandi proximum no-  
strum, & tam parui faciamus scan-  
dalizare eum, pro quo Chri-  
stus siti mortuus est.





## PETITIO.

**P**ete gratiam à Deo, nunquam amplius reddendi ei fel pro melle, hoc est, mala pro tantis bonis & beneficijs, quibus omni hora nos afficit, idque per amarissimam amaritudinem, quam in cruce pertulit, & per amorosissimum amorem, qui eum impulit ad sumendū potum tam amarum & acerbum.

## ORATIO.

**O**quoties Domine Iesu Christe, tibi porrexi amarum fel pro dulcissimo melle, quo me continenter eibasti? Quot scelera admisi pro tot donis? Quanta mala pro tantis beneficijs? O quoties interim dum fruor beneficijs tuis, quibus certè semper & frui sum & nunc fruor (nihil enim habeo, quod tuum non sit) ipso vsu beneficiorum tuorum te offendi? O quoties accepto à te stipendio militavi sub Diabolo & mundo? Da mihi ergo dulcissime Iesu in posterum gratiam, vt reddam tibi vnam & non labruscam, bonum non malum, gratitudinem, non ingritudinem. & vt semper amaritudinem quandam sentiam.



DE PASS. DOMINI. 77

tiam, si aliud egero, dixerò, vel cogitaue-  
ro, quàm Maiestati tuæ conueniat. De-  
nique vt deinceps reddam tibi amorem  
pro amore, sanguinem pro sanguine, vi-  
tam pro vita, vt quemadmodum vita  
mea scandalizauit cœlum & terram, sic  
in posterum sancta & exemplari vita pro-  
ximum meum ædificem, diuinam Ma-  
iestatem laudem, benedicam, & semper  
glorificem. Amen.

COLLOQVIVM ANI-  
mæ cum Christo de Pas-  
sione.

**D**omine quare te vendi permisisti?  
*Vt te à seruitute liberarens.*  
Domine cur tantum orasti?  
*Vt placarem iram patris con-  
orare.*

Domine cur passus es timorē & pauorem?  
*Vt facerem te securum & animosum.*

Domine cur posita sunt tibi tot insidia?  
*Vt te liberarem ab omnibus insidijs.*

Quare sudasti sanguinem?  
*Vt eluerem maculas tuorum peccato-  
rum.*

Quare voluisti capi?  
*Ne tu ab inimicis tuis caperere.*

D 3

Qua-